




DES ERBPRINZIGEN VON SACHSEN







50



D. O. M. A.  
DISPUTATI V.  
Centuriae *Quarta*

QUAESTIONUM  
ILLUSTRUM

Philosophicarum,  
*In Inclycâ Vitebergensi Academiâ  
Publicè*

Proposita  
P R A E S I D E

M. Jacobo Martini  
Logices Profefs. Publ.

R E S P O N D E N T E

Wilhelmo Mejero  
Frisio Nordensû

*Ad diem 15 Junij in auditorio Collegij  
veteris.*

W I T E B E R G A E,  
*Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli  
Helvurgii Anno M. D. C. VIII.*







VIRIS

Reverendis, doctrinâ, pieta-  
te, auctoritate omniq; virtu-  
tum genere præstantissimis

Dn. JACOBO VVIGANDO aulæ illustris-  
simi comitis Frisæ orientalis concionatori  
dignissimo,

Dn. DAVIDI FABRICIO ecclesiæ oste-  
lanæ

&

Dn. JOHANNI REDDERO ecclesiæ Dor-  
numanæ Pastoribus vigilantissimis

Dominis, Patronis ac promotori-  
bus suis omni officiorum genere per-  
petuùm colendis

*Hanc exercitationem Philosophicam in perpetuum debiti honoris  
& observantia respiciet*

*dedicat, offert, ac donat*

Vilhelmus Mejerus  
auctor & Resp:





## QUÆSTIO I.

*An in rebus philosophicis potius attendenda sit ratio quam auctoritas?*



Dicitur *veritatem*, quæ (ut subtilissimus ille Scal: Exer. 1. 3. *memoriæ prodium habet*) merito nostratis philosophiæ anima, christianæq; professionis fundamentum esse debet, eruendam duo potissimum requiruntur media: ratio nimirum & auctoritas. Horum igitur utri in rebus philosophicis plus tribuendum sit (præsertim cum multi amore erga præceptorum suorum placita obcecatis Pythagoricum illud auctoris  $\epsilon\phi\alpha$  subinde ad nauseam non sine tædio occinant) non abs re queritur.

Nos tamen quamvis Galenus, aut quis alius diversum senserit (jus enim & factum differunt, secundum Iuriconsultos) rationi per omnia calculum nostrum adijcimus, eiq; primas hac in parte deferimus 1. Quia in philosophia, juxta tritum illud, non credendum ut sciamus, sed sciendum, ut credamus. At verò scire teste philosopho 2. post. cap. 11. & 1. metaphy. 3. nihil aliud est, quam res per causas suas cognoscere. Iam autem auctoritas, quæ auctoritas, id est, quatenus rationibus destituitur, causas rerum non explicat, neq; etiam ipsam rei essentiam attingit, sed dum nihil aliud, quam testantis sensum, atq; consensum addit, remotè tantum arguit; unde & argumentum  $\epsilon\sigma\chi\epsilon\upsilon\upsilon$  & assumptum à philosophis dicitur. Rationes contra, quas hic intelligimus, ipsas rerum causas adducunt, ipsarumq; essentiam penitus evolvunt & explicant, nec non quomodo subiectum cum prædicato cohereat, monstrant, & omnia ad accuratam veritatis trutinam examinant, adeo ut quid veri aut falsi subsit, perfectè innotescat, ut: hominem animal esse, non simpliciter credimus, quia Aristoteles id dixit, sed quia rectè id dicitur ratio. Omne enim animal est corpus plenum vitæ & sensus. Atqui homo est tale corpus. Ergo homo est animal.

Ex hisce sole (quod dicitur meridiano clarius effulget, in rebus philo-



sophisticis ratione, non autem auctoritatibus pugnandum esse. Nam auctoritate, nisi rationibus suffulta fuerint, eadem facilitate rejiciuntur quoadferuntur. Unde rectissime Zabarella lib. de apol. cap. 1. et erit philosophi munus dicit, rationi parere, & veritatem non solum mente, sed & ore confetri. Ut eam jure amicitia sine virtute; sic auctoritas sine veritate recte contemnitur. Casus quaest. Eth, cap. 1. Et hoc est, quod tantis laudum encomiis celebratur Socrates. Is enim cum spectris, fabulis ac superstitionibus refertam accepisset à Pythagorâ & Empedocle philosophiam, censuit in rebus ipsis prudentiam quaerendam, & sobria ratione veritatem persequendam esse Plut: in soc. dæmon. Nam antepone re placitis humanis veritatem philosophi interest Scal. lib. 2. de causis lat. ling: Neque quicquam pretiosius est veritate, quippe quæ hominis solius meta est & animæ nostræ pabulum, idem exerc. 143. sect. Legatur hac de re Dn. Phil. lib. 4. dial. pag: 339. & Scal. exerc. 325. sect. 3.

## Q U Æ S T I O II.

### Quid sit syllogismus dialecticus?

- 1 Cum † multi reperiantur naturæ logicæ ad eum ignari, ut nobilissimam illam de Syllogismo doctrinam parti logices formali totam includere non dubitent, nos naturam hujus Syllogismi paucis aperiemus. Antequam autem ulterius progrediamur, quaestionem, An sit Syllogismus dialecticus paucis expediemus.
- 2 Dari autem Syllogismum dialecticum vel inde probatur. Quia diversa instrumenta & diversus procedendi modus diversa requirunt præcepta. Sed in logicis diversa dantur instrumenta & diversus procedendi modus: Ratio est, quia aliter utitur syllogismo demonstrator, aliter sophista, aliter disputator 1. post, cap. 11. & 1. Top. cap. 10. 1. post, cap. 4. & 1. Top. cap. 8. Ergo etiam dantur diversa præcepta.
- 3 Definitur † porro Syllogismus dialecticus qui ex probabilibus concludit 1. Top. cap. 1. § 5. In qua definitione duo potissimum veniunt consideranda 1. id quod hic syllogismus commune habet cum aliis: nimirum genus & dispositio, quæ omnes Syllogismi ex æquo participant 2. id quo prioris communitas restringitur, nempe ex probabilibus concludere, per quod Syllogismus dialecticus ab omnibus aliis syllogismi speciebus aptissime distinguitur.
- 4 Sunt † autem probabilitate teste philosopho 1. Top. cap. 1. §. 7. quæ videntur



dentur omnibus, vel plerisq; vel sapientibus, atq; hic vel omnibus, vel plerisq; vel maxime notis & claris. Huc ex sententia philosophi reducuntur. 1. Quae probabilibus similia sunt. 2. Quae iis sunt contraria. 3. omnes sententiae, quae ex artibus, quarum sunt, recte judicantur. Removentur vero inde ea, quae ex communi opinione adeo nota sunt, ut nemo nisi insigni *ἡπποκρίτος τῆς διαβολῆς λοβορῶν*, ea in dubium vocet, aut neget. 2. *ἡ ἀπόδειξις*, quod ob nimiam absurditatem non facile inveniet fautorem.

### Q U A E S T I O III.

An finis sit causa secundum esse intentionale, uti vocant, an vero secundum esse reale?

Cum res cuius gratia aliquid fit, teste Fonseca, duplex esse habeat; I unum in mente, quod obiectivum & intentionale dicitur; alterum reale, quod in rebus citra ullam mentis nostrae operationem existit: merito quaeritur; an finis sit causa secundum esse intentionale, an vero secundum esse reale.

Priorem quaeestionis propositae partem stabilire videntur haec argumenta. 1. Quodcumq; actu movet, illud ipsum ut actu sit necesse est: Atqui finis dum movet efficientem non necessario semper est actu secundum esse reale, uti videre est in sanitate. Hac enim medicum movet ut curet aegrotum, & tamen necessaria est ut sit actu, secundum esse intentionale. Ergo. 2. Secundum quod esse finis prior est efficiente, secundum illud finis etiam est causa. Atqui finis prior est efficiente secundum esse intentionale. Ratio est, quia finis esse reale saepe est effectum efficientis, secundum illud; finis est primum in intentione, ultimum in executione. Ergo Finis est causa secundum esse intentionale non vero reale. 3. Finis non movet causam efficientem, nisi dum causa efficiens illius gratia aliquid agit, unde finis desinitur τὸ ἔσθ' ἐννοεῖται. 1. Metaph. cap. 3. Atqui postquam finis existit, nihil fit eius gratia. Quia sine acquisito omnis cessat operatio 1. de gen. cap. 7. textu 55. Ergo &c.

Pro posteriori autem, cui & nos calculum nostrum per omnia adijcimus, militat haec sequentia. 1. Secundum quod esse finis appetitur; secundum illud etiam movet: Atqui non appetitur secundum esse intentionale,

A 3

sed



sed secundum esse reale: Non enim sine apprehenso statim extinguatur aut  
satiatur appetitus & desiderium agentis, sed eo revera obtento: Ergo finis  
est causa secundum esse reale. 2. Finis secundum illud esse movet efficien-  
tem, secundum quod si non obtineatur frustra agens gratia illius laborasse di-  
citur. 2. Phys. cap. 6. textu. 62.

At qui agens non dicitur frustra egisse alicujus gratia, nisi cum illud quod  
desiderabat, non obtinuit secundum esse reale. Ergo finis etiam est causa se-  
cundum esse reale.

4. Etsi tamen utraque sententia distinctione quadam, de qua Cajetanus  
legatur lib. 1. cap. 2. quaest. 1. art. 1. adhibita, non adeo est absurda nos, ta-  
men propter rationes jam dictas posteriori per omnia, uti diximus, subscri-  
bimus. Ad rationum autem propriam opinionem allatarum primam quod  
attinet, respondemus distinguendo inter agens proprie sic dictum, & in-  
ter agens metaphoricum, seu inter verè efficiens, est obiectivè alliciens, &  
dicimus nihil proprie movere posse, nisi sit actu in rerum natura saltem  
per instrumentum, Cujus interventus agit; in metaphoricis autem mo-  
ventibus sufficere, si saltem sit actu apprehensum ab agente creato. Ipsum  
itaque esse reale est & manet ratio movendi: Conceptio autem illius est con-  
ditio sine qua non movet Fonseca. 5. met. c. 2. quaest. 11. Ad secundam  
quod attinet negamus minorem. Finis enim secundum esse suum reale na-  
turam semper prior est proposito & intentione ejus efficientis, in quo sui  
desiderium causat. 2. dicimus finem secundum esse reale dupliciter conside-  
rari, sed in diversis causarum generibus. Nam ut allicit agens est prior ef-  
ficiente in genere causae finalis, ut verò ab illo efficitur est posterior in gene-  
re causae efficientis. Cajet. 1. 2. quaest. 1. art. 1. & Ockhamus secund.  
sent: quaest. 3. Ad tritum aut illud, nimirum finem esse primum inten-  
tione; ultimum verò in executione; respondemus utrumque illud de fine  
secundum esse reale intelligendum esse; Si quidem id primò intendit agens,  
quod tandem actione consequitur. In tertia est fallacia consequentis: Nihil  
enim inde aliud colligitur, quam quod finis cujus non moveat secundum esse  
reale praesens, qui tamen potest movere, & movet etiam secundum esse  
reale nondum existens. Videatur Ockhamus loco superius citato.

Q U A E S T I O



## QUAESTIO IV.

An corpora caelestia agant in hæc inferiora?

Diverse † plane de hac quaestione ( cui movenda ἀφορμή præbuit † ipse Philosophus, dum lib. 1. de cælo cap. 3. generationem & corruptionem sibi, succedentium varietatem ex cæli motu oriri pronunciat ) Philosophorum extant sententiæ.

Quidam enim sequentibus moti argumentis id disertè negant. 1. Quia 2. omne agens ideo agit, ut similitudinem sui effectui imprimat: Sed corpora caelestia, seu similitudinem hisce inferioribus non imprimunt. Ratio est, quia alia corpora caelestia non procreant. Hoc enim si fieret, essent rerum Cælestium erius & propagatio, quod rectè negat Damascenus libr. 2. fid. orth. 2. Inter agens & patiens mutuus requiritur contactus Arist. 7. Phy. cap. 2. & lib. de generat. & cor. c. 9. Atqui cælum longissimo intervallo distat ab hisce inferioribus: Quare in ea agere neutiquam potest. 3. Quales sunt vires & motus cæli, talia etiam ejus debent esse effecta, sed vires & motus cæli sunt rati & stabiles. Dionis. in epist. ad Polycarp: & Botius in consol. cap. 4. Ergo etiam ejus effecta erunt talia, quod non solum ἀφίλοσοφου sed & ἀθεόλογον est. Referret enim in ecclesiæ proscenium stoicam illam necessitatē in scholis tam Philosophorum quam theologorum jam pridem explosam & damnatam.

Verùm † hæc argumenta licet multis arrideant, apud nos tamen plus 3. valebit veri ratio quam vulgi opinio: unde fit ut in affirmativam quaestionis partem ultro concedamus. Quod enim docet manifesta experientia, ei non est repugnandum, sed manifesta experientia docet corpora caelestia in hæc inferiora agere: Ergo ei non est repugnandum. Minor patet. Videmus enim astra sua luce collustrare inferiora hæc omnia, idq. mutuis vicibus  
sobe



Sole quidem interdiu ; luna verò ac stellis noctu iubar suum defendentibus.

4 Ad ¶ quo officio & illud dependet, quod hisce sublunariis calorem, qui alterationi & generationi potissimum inseruit, instillent, tempora distinguat, & quatuor anni mutationes & vicissitudines, quales sunt Ver, aestas, autumnus & hyems per duo solstitia & æquinoctia ad usum eorum quæ è terra nascuntur efficiant : unde etiam ipse Moyses testatur, astra à Deo condita esse in signa ; ubi per signa non intelliguntur ipsorum astrorum ( uti quidam voluerunt ) imagines, neq; etiã signa supernaturalia quæ varijs temporibus evenerunt. Siquidem Moyses eo in loco agit de astris in se, & ratione sui consideratis, deq; naturali & proprio eorũ usu & effectu. Neq; etiã per signa intelligenda est astrologia illa judiciaria & divinatrix, ex qua certæ & infallibiles peti possunt prædictiones de futuris rerum eventibus & fortunis hominũ & quidem in indi-viduo. Hoc enim verbo Dei & analogia fidei è diametro contrariatur. Nam licet astra tam in corpus humanum quàm cœtera agant; tamen saltem secundum potentiam agunt, animus autem ut causa secundum actum, quæ agere aut actionem suspendere potest. Qua de re in sequenti quaestione fusius agetur. Nobis hic saltem astra in hæc inferiora agere demonstrasse sufficit.

5 Ad ¶ argumenta autem in contrariam partem oblata breviter respondebimus. In primo itaq; distinguenda est homonymia in vocabulo (agens). Quædam enim agentia uni-vocè agunt, quædam æqui-vocè. Quæ uni-vocè agunt, hoc intendunt, ut sui similitudinem effectui imprimant, si ve ut sibi simile in specie producant; ut: homo hominem, equus equum, bos bovem, leo leonem ; agens autem æqui-vocum, quale est cœlum comparatione elementorum & mistorum quæ progenerat, non idcirco agit, ut sibi simile secundum speciem producat, sed secundum virtutem. Siquidem non actu sed virtute non affectu sed effectu huiusmodi formas in se cohibet. Ad secundum dicimus, inter agens & patiens necessariò quidem requiri contactum, verùm non semper immediatum, sed & aliquando mediatum sufficere, ita ut non opus sit, ut corpora cœlestia in hunc mundum sublunarem actura eum immediate tangant, sed satis esse si mediate 1. de gen. & cor. cap. 9. Ad tertium respondemus, cœli motus quidem firmos & stabiles esse, sed inde tamen non sequi, in hisce inferioribus omnia necessariò, & nihil contingenter evenire, tum quia non omnia sublunaris mundi effecta à cœlo dependent, tum quia cœli influxus nonnunquam modificatur, & impeditur à causis particularibus. Qua de re legatur D. Thomas lib. 2. distinct. 15. quaest. 1. art. 2. & 3.

Q V Æ S



## QUÆSTIO V.

An corpora cœlestia tantum motu cum lumine an verò aliis quoq; occultis qualitatibus influant?

Quæstione ꝑ precedenti sic expedita, rectè se offert alia, nimirum illa, qua quæri solet an corpora cœlestia tantum motu cum lumine, an verò aliis quoq; occultis qualitatibus influant. Cujus quæstionis negativam Averroes, Avicenna, & ex recentioribus Picus Mirandola, Georgius Agricola, & alii tanti fecerunt ut cæteros corporum cœlestium influxus non tantum negarint, sed & delirantium somnia, & ignorantia asylon appellare non dubitarint.

Rationes ipsorum præcipua hæ sunt. 1. Quod neq; ex sensu aliquo, neq; ex iis, quæ à sensu oriuntur, conspicuum est, illud asserere à Philosopho, & iis qui rerum intelligentiam ex ratione naturali tradere se profitentur, alienum esse debet: Atq; dicere cœlum aliis uti instrumentis quàm motu & luce neq; ex sensu, neq; ex iis quæ à sensu oriuntur, conspicuum est. Ergo. 2. Quodcumq; in se continet tum calorem elementarem tum cæteras primas qualitates, id solius lucis opportunitate atq; efficientia præstare poterit, quicquid in sublunari mundo efficit: Sed cœlum continet in se ignem elementarem & cæteras primas qualitates. Joh. Picus lib. 3. adversus astro. cap. 4. Ergo cœlum solius lucis opportunitate atq; efficientiâ præstare poterit quicquid in hisce inferioribus agit. 3. In omnibus rebus, quæ plures habent proprietates potentiasq; semper specifica proprietas nobilitate sua vincit genericam. At verò lux est generica proprietas omnium astrorum si ve corporum cœlestium. Ergo si in cœlo occulta aliqua proprietas esset, esset ea nobilior luce quæ tamen omnium Philosophorum judicio censetur omnium cœlestium corporum nobilissima, quippe qua nulla res cœlestis excellentior Scal. exerc. 71.

4. Quò quid nobilius est eò etiam paucioribus utitur instrumentis: At qui corpora cœlestia elementis sunt nobiliora. Ergo etiã paucioribus quàm elementa utuntur instrumentis. Cum itaq; elementa plures habent qualitates, quibus ut instrumentis utuntur, illa saltem unam habebunt, videlicet lucem: Quod & ipse Philosophus tacitè innuere videtur, dum neq; in libris de cœlo, neq; de meteoris, ubi tamen hac de re ex professo agit, nullum instrumentum attribuit cœlo aliud, quàm motum & lucem.

B

Verùm





4 Verum ¶ est cælum beneficio motus & lucis in hæc inferiora agere, non minus inficias: non tamen inde sequitur occultas quasdam qualitates cælo denegandas esse. Siquidem non pauca à cælo perficiuntur motu aut luce ejus non intercedente. Quis enim nescit aurum argentum & reliqua metalla in terra gremio, quod neq; motus attingere neq; etiam lux propter brutam illam terræ crassitiem radio suo penetrare potest, præcreari.

5 Sed ¶ hic quidam excipiunt dicentes non ipsam lucem sed calorem saltem à luce genitum terræ latebras penetrare. Verum effugium hoc non præbet ipsis elabendi rimam. Siquidem calor ille in extrema terræ superficie excitatus tam intensus non est, ut se tam latè possit profundere, præsertim cum terræ frigus ei obsistat, & viam quasi præcludat.

6 2. Experientia ¶ docet acum magnetis attritu consfricatam à cæli partibus polo vicinis trahi. Vis autè illa à luce minimè oritur, sicut colligere est ex eo, quod etiam caliginosissimis in locis acus hujusmodi versus illam cæli partem vertatur. Relinquitur igitur id alterius ope fieri. 3. Idem etiam docet mirabilis ille maris fluxus ac refluxus, cujus causæ investigandæ tædio summum Philosophum mortuum esse scribit Cælius Rodiginus lib. 29. antiq. lect. c. 8. teste Joh. Magiro lib. 4. physiologiæ perip. c. 8. pag. 316. Investigari autem illa nequaquam potest, nisi ad occultas lunæ qualitates refugiamus. Legatur hac de re Scal. exerc. 52.

7 Luna ¶ enim attestantibus omnibus Philosophis maximam habet cognationem cum humoribus & aquis, adeo ut non solum lumine calore vè suo tumefactas aquas rarefaciat, sed & occultam quadam vi earum incrementa efficiat. Tandem etiam occultas illas astrorum influxus in medicamentis obseruari licet, unde Ovid. lib. 2. de remed. amor.

Temporibus medicina valet data tempore profunt

Et data non apto tempore vina nocent.

Hinc & Gal. lib. 3. de dieb. crit. astrorum, & præsertim lunæ congressiones aspectusq; ad accuratam corporis curationem probe spectandos esse, disertè affirmat.

8 Ex ¶ quibus omnibus luculenter apparet corpora cælestia præter motum & lucem habere vires alias aliarum qualitatum effectrices, quæ influentiæ dicuntur. Qua de re legatur D. Thomas 2. de cælo c. 7. Deneveni. lib. 2. dist. 14. quæst. penult. Magnus Albert. lib. 2. dist. 15. quæst. 1. & 2. Ad argumentorum itaq; pro priori sententia allatorum primò respondemus negando minorè, siquidem tam sensus, quam ratio suadet corporibus cælestibus latentes illas, de quibus hic loquimur, vires inesse. Quemadmodum illud falsus argumentis pro affirmativa quæstionis parte militantibus ostensum est.

ln



In secundo itidem negatur minor: licet enim cœlestis calor generosa sit lucis  
 soboles: non tamen sequitur duplicem illam tam dissimilium & repugnan-  
 tium qualitatum conjugationem caloris nimirum & frigoris, humoris &  
 siccitatis in eo esse. Nam alias unum contrarium aliud produceret, quod fieri  
 non potest: quia contraria sese mutuò tollunt ac perimunt. 2. Top. c. 7.  
 Ad tertium dicimus majorem non esse univ ersaliter veram. Nam hincien-  
 di potestas minus præstans est, quam facultas sentiendi, & tamen illa speci-  
 fica est; quia sequitur naturam equi hæc verò generica, quia competit comu-  
 ni naturæ animalis. In 4. negamus majorem, quia perfectiora animantia  
 plures habent sensuum officinas ac plures potentias, quibus ut instrumentis  
 utuntur, quam ea, quæ minus sunt perfecta. Quod autem Philosophus præ-  
 dictorum influxum expressam mentionem non fecerit, nihil nobis officio, cū  
 non pauca, quæ tamē in scholis peripateticorum defenduntur, ab illo suppres-  
 sa sint, aut etiam injuriâ temporum interierint. Quæ de re legatur Petrus  
 Bertius in proximo logices de Phil. ejusq; partibus pag. 5.

## QUÆSTIO VI.

An organon visus sit igneum an verò a-  
 queum?

Ὁργανὸν τῆς ὄψεως ὡς ἀπὸ τῆς οὐσίας inquit Aristoteles 3.  
 Metaph. c. 1. & rectè. Est enim dubitatio prohibitio quidem progressionis  
 ad intelligendum, sed cum motu disquisitionis Scal. exerc. 312. Dubitamus  
 igitur & nos, utrū visus organon igneū sit vel aqueū. Dubitandi autem an-  
 sam nobis præbuit vehemens illa, quæ est inter Platonicos & peripateti-  
 cos hæc de re dissensio. Plato enim in Timæo, quæ sequitur Galen. lib. 10. de  
 usu part. & alibi Ficinus lib. de volupt. c. 4. Vallesius lib. 2. cōtr. c. 25.  
 Organon visus igneū esse strenuè cōatur defendere. 1. Quia visus objectū est  
 igneū. Quales autē sunt res objectæ sensiles, talis etiā videtur & ipse sensus.  
 2. Quia oculi quorundam animalium in tenebris corruscant, & sæpius at-  
 triti fulgoris speciem emittunt. 3. Quia oculi hinc inde moventur. 4. Quia  
 frigori resistunt, nec ita rigorem patiuntur, ut aliæ partes.

Contra t̄ verò Aristoteles lib. 2. de par. an. cap. 10. & lib. de sen-  
 su & sensili cap. 2. & omnes peripatetici, teste Zab. lib. 2. de visu cap. 2  
 6. & 7. Scal. exerc. 397. sect. 3. Laurentio lib. 11. quæstione 5. Cœlio  
 Rodigino lib. 15. antiq. c. 3. negati vā tuentur has ob causas. 1. Quia  
 in artificiosâ oculi dissectione videmus aqueas & frigidas partes maxi-  
 mè oculi fabricam absolvere.

B 2

2. Quia





3 2. Quia † humor crystallinus, qui præcipuum visus organon est maxime humidus & frigidus est, Quò itaq; omnis dubitandi ansa præripiatur, dicimus Aristotelis quidem sententiam esse omnium verissimam, Platonis tamen nihilominus, si dextrè intelligatur, etiam locum habere posse; ita quidem ut visus organon, si formale spectes, igneum sit, aqueum verò si materiale. Hinc ipse Scal: ait: aqua oculi instrumentum est materiale: ignis formale exerc. 297. sect. 3.

4 Quod † si minus hac conciliatio Platonis arrideat, argumenta ipsorum breviter discutiemus; ita, ut ad primum dicamus non opus esse, ut objectum & organon essentia conveniant; sed sufficere ut eatenus conveniant quatenus objecti species recipienda est. 2. Visus objectum non propriè, sed impropiè igneum dici. Siquidem vero minus consonat quod Plato dicit, colorem esse flammam à singulis corporibus promanantem. Nam alias sola corpora ignea colorata essent quod absurdum est. Ad secundum respondemus oculos lucere, non quod ignei sint, sed propter pelluciditatem & proprium lumen. Quæ duo etiam in causa sunt quod sæpius emittant splendorem. Ad tertium, quod attinet, distinguimus inter motum naturalem & animale, & dicimus motum naturalem rebus mixtis convenire propter excessum elementorum Arist. 4. phy. cap. 8. textu. 67. motum autem animale eum esse, qui fit ab anima in corpore animantis. Oculi autem moventur motu animali non autem naturali. Non enim motus hic prædominio alicujus elementi, sed beneficio animæ & musculorum oculis additorum peragitur. Ad 4. respondemus cum Philosopho sect. 15. problem: 23. oculum non rigere, quia igneus, sed quia optimus est, nec carnis quicquam in se continet. Non enim in oculo talis est ignis, qui calefaciendi frigoriq; resistendi vi præditus est.

## Q V Æ S T I O VII.

An statio solis & lunæ Iosux 10. Solis item retrogressus 4. Reg: 20. derogaverit regularitati motuum cœlestium?

Quod si negaverimus, omni fide majora videbimur attentare, cum luminarium cursus regularis tanto intervallo mutatus ingentem cœlestium motuum, ac temporis confusionem arguat? Sin affirmaverimus, chronologicam certitudinem in dubium vocabimus. Ecce nodum! quem tamen



tamen ita dissolvere conabimur: Deum astroplasten istis temporibus cohibito solis & lunæ motu, motum simul cohibuisse totius cælestis machinæ tam communem, quàm proprium, cui postmodum simul ac semel habenas remisit (citra sensilem tamen apparentiam) laxiores, atq; ita tandem convenienti quoq; loco restituerit; idq; omnino ob justam & perpetuam temporis distinctionem, quippe cum DEVS sit auctor ordinis non confusionis. Quocirca planè nihil hæc & similia miracula certitudini chronologicæ; multò minus Astronomicæ detrahent,

## Q V Æ S T I O I I X.

Vtrum privatim, an in scholis publicis erudiri, liberos præstet?

Qui priorem sententiam tuentur duabus potissimum moventur causis; In magnis cœtibus magnam esse vitiorum confluentem, & institutorem paucis potius vacare, quàm multis. At non perpendunt illi primò unde mali mores eò confluant. Anne domo in scholas? Quomodo domi eos habeant? inquis. Ex conversatione familia sepe perditissima, negligentia patrum, indulgentia matrum, oscitantia pædagogorum. Pædagogi deinde, ut commodius paucos instituere queat, quanta auctoritas, præ illâ publicâ, præsertim filiolis aliquantillum adultis, accedente licentia materna. Iam verò liberi quo ad usum non tam parentibus quàm Reipubl. nati sunt.

Quocirca publicæ etiam informationi debentur. Nec alium in finem scholæ publicæ à magistratibus sunt institutæ. Fiat igitur in agro publico seges publicæ messis. Hic fruges adolescent, irrigatæ virtutum ac doctrinarum studiis & æmulatione mutua. At æmulationis non est, nisi sapere jam incipientium? Igitur totam rem breviter habe. Filium pædagogus privatus informet ad annum ætatis circiter undecimum vel duodecimum, eò demum sacris publicis initiatur, institutione privata nihilominus adhibitâ, quæ publicè lecta, audita, petantur, examinentur & explicentur. Ita tandem in filiis cum literis etiam igniculos prudentiæ crescere videbis.

B 3

Q V Æ S-



## Q U Æ S T I O I X.

An ex Platonis decreto ante annum ætatis quinquagesimum futuro politico non peregrinandum?

*Cum finis peregrinationis acquisitio sit prudentia politica, quæ requirit, ut peregrinator cum Ulyffe.*

*Multorum mores hominum cognoscat & urbes certum est adolescentiam hic magis aptam spectandis, quam judicandis & seligendis. Interim in patrio consenuisse solo, ac eo deniq; tempore peregrinari, quo ad Reipubli. gubernacula jam sedere conveniret, alienum videtur. Et ut fructuosissima peregrinationi maxime ij sint animo, corpore tamen sunt impares, quod eà etate obnoxium variis mutationibus, imo ipsi sæpe morti, quæ Rempubl. omni conceptâ spe exiit. Medium igitur hic tenendum & juvenili etate jactis primò literarum, ac virtutum fundamentis peregrinationem in eundam censemus; si quis cum Ulyffe πολύτροπος, cum Iejone vel lus aureum Reipublica sua reportare velit.*

## Q U Æ S T I O X.

Vtrum gravius puniendum adulterium quàm homicidium?

<sup>1</sup> *Horribile & sanè delictum tam adulterium, quam homicidium, adeò, ut utrumq; mortis pœna afficiendum lex jubeat divina. Sic enim Gebo va ad Abimelech Gen. 20. v. 3. mortuus es propter uxorem, quam accepisti: quum ipsa maritata sit viro. Et Levit. 20. v. 10. Vir, qui adulterium commiserit cum uxore alicujus, qui inquam adulterium commiserit cum uxore proximi sui moriendo morietur adulter & adultera, Idem de homicidio legimus Gen. 9. v. 6. ait Iehova qui effuderit sanguinem hominis in homine, sanguis ejus effundetur: quia ad imaginem Dei effecit hominem.*

<sup>2</sup> *Quod nam & igitur delictum altero pejus, quod gravius puniendum? Adulterio in omnibus peccatis gravius nullum inquit Gratianus c. quid in omnibus causa 32. q. 7. Imo perjurio non levius id judicat Thales Mile-*



Milesius. Is enim adultero sciscitanti an abstraturus esset adulterium, Non est inquit perjuriū adulterio pejus. Significans illum stulte dubitare de pejurando, qui facinus perjurio par non dubitasset committere Laert. lib. 1. Quid? perjurio pejus & gravius id aliū judicabant Philosophi; quo testatur Alexander ab Alex. lib. 4. cap. 1. ubi ait: apud Arabes aliasque nationes adulteris semper capitis pœna fuit, quod plerique philosophi prodidere, qui adulterium perjurio gravius crimen censuerunt.

Atque id, uti videtur, non sine causa est. Nunquam enim solitariū est, sed pessima quævis conjuncta habet flagitia, & crimina. Nihil dicam hic de Davide Rege. Certè is nunquam Vriam morti exposuisset, nisi cum ejus uxore Bethsabæe adulterium commisisset 2. Sam. 11. v. 4. 15. & 17. Clytemnestra cum Aegistho adultero in perniciem Agamemnonis conjuravit: quo interempto Orestis furor in matrem concitatus est Euripid. Sophocl. Euridice Macedonum regina Amynthæ uxor, atque Philippi mater ut adultero regnum traderet, Alexandrum ac Perdicam filios veneno sustulit, idemque viro fecisset, nisi filia scelus detexisset Fulg. lib. 9. cap. 1. Fabia Fabri Fabriciani uxor dum petronium Valentinum liberali formâ adolescentem, quo cum adulterij consuetudinem habebat, maxime deperiret, maritum interfecit, ut adulterio frueretur securus Plut. in parallel.

Adde quod in adulterio plures delinquentes concurrant l. Reas 4 de adult. Frequentiora etiã sunt adulteria, quàm homicidia. Nulla enim in re magis, quàm in hac concupiscentia sævire videtur. Proinde magis voluntarium est adulterium, quàm homicidium, quod sæpius casuale est, vel certè ex impotentia iræ committitur. Quo vero delictum magis voluntarium est, eò etiã magis puniendum; unde semper gravissimæ in adulteros animadversum. Mortis supplicium indicit illis diuina sanctio, uti diximus, Levit. 20. Hinc Arabibus capitalis pœna in usu fuit, Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 1. Eusebius de præpar. Evang. lib. 6. cap. 8. Imperator adulterium gladio puniri jubet in C. l. 19. ad l. lul. Adult. Aurelianus quoque imperator ut exquisitissimo supplicij genere puniretur, constituit nempe ut adulteri arborum durarum infixi capitibus, & ad pedes relegatis moxque demissis inter vulsi uirum morerentur Cœlius lib. 10. antiq. 6.

Parthi nullum flagitium vindicabant gravius, quàm adulterium Alex. lib. 4. cap. 1. Athenienses illos, qui alienam uxorem precio, aut illecebris corrupissent, morte multabant Victorius, libr. 32. cap. 15. Plato non modo eum, qui cum puero, sed etiã, qui cum muliere se miscuerit, mortis



mortis supplicio condemnat, & adulterum impune à viro occidi posse asserit. 9. de legib. Alex. lib. 4. cap. 1. Sic veteri jure Romano & Solonis lege conceditur *Ἰπὶ ἀντοφώσῳ* deprehensum occidere impune Arctius pag. 2. probl. 167. Hinc Gracchus cum adulteraretur cum uxore Mumii deprehensus per Mumium fuit interemptus. Gravissima etiam senatus populi Romani sententia fuit, quæ propter Lucretiæ stuprum, aliaq; infinita, ac tyrannica facinora de imperio abrogando Tarquinio Superbo Rege pronunciata est: uxore ac liberis Tarquiniisq; omnibus ejiciendis urbe, Italia, finibus: hac cum maxima sanctione, ut si quis unquam de reducendo rege cum populo ageret, ei capitale esset. Dionys. Halicarnass. lib. 3. Tit. Liv. lib. 1. decad. Norvegienses femina armata ope Regneri Danorum regis, Siwardum Suecorum regem ob supra frequentia bello victum trucidarunt Joh. Mag. lib. 17. cap. 4. Aristomenes Messenienses milites, qui Spartanas captivas stuprare volebant sua manu interfecit Pausonias in Messenicis. C. Jul. Cæsar libertum gratissimum ob adulteratam equitis Romani uxorem capitis pœna affecit Suetonius. Idem expertus est Proculus libertus ab Augusto Cæsare.

5 Imo † ipsa natura in brutis animalibus adulterium detestatur Memorabile enim est, quod de Elephanto refertur, qui adulterium in uxore heri sui severissime punivit Aelian. lib. 11. cap. 15. De Ciconiâ quoque in Thessaliâ, quæ Alcinoen mulierem cum servo adulterii consuetudinem habentem, absente marito, impetu facto oculis privavit. Idem lib. 8. cap. 20.

6 Aliis † homicidium gravius videtur delictum, quàm adulterium. Non enim hoc ita naturalem habet prohibitionem sicut illud, quod ipsius humane naturæ clementia videtur abhorrere, & omnibus modis execrari. Hinc gravius punitur matrem occidens: quàm qui eam turpiter cognoscit. Parricidium enim lege Pompejâ omnium pœnarum gravissima punitur. l. 1. ad l. Pomp. de parricid. §. sed & alia lege & Inst. de publ. Jud.

7 Videtur † etiam illud acerbè & penitus odisse ipse Deus, quando toties mandatum de homicidiis repetit, gravissimisq; solennibus, & minantibus verbis inculcat: Sic enim Iehova. Cap. 9. Gen. Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis & de manu viri, de manu fratris requiram animam hominis. Quicumq; effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Et iterum. Exod. 21. Qui percusserit hominem volens



volens occidere morte morietur. *Levit.* 24. Qui percusserit hominem & occiderit morte morietur. *Num.* 35. Si quis ferro percussit, & mortuus fuerit, qui percusserit reus erit homicidii & ipse morietur. *Ibidem*: Non accipietis precium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur.

Majorem ¶ quod provocationem, & tentationem habet adulterium, & quàm homicidium. Nam D. Bernhardi iudicio de int. dom. cap. 29. col. 1212. revera difficile est libidinis incendia extinguere, impuberes simul & juvenes accendit, vires enervat, senes stimulat, decrepitos fatigat, non aspernatur turguria, non re-vertetur pabatia. Ubi verò provocatio major, ibi delictum levius reputatur.

Adde ¶ & hoc quod homicidio tollatur creatura rationalis: quam totus mundus reparare nescit. Arbores quidem semel cæsa celeriter renascuntur; at semel occisus homo non recuperatur Percecl. apud Plutarch. in ips. vita. Imo sæpenumero si non superabundet misericordia Dei anima cum corpore extinguitur; unde homicidium ipso sacrilegio gravius crimen esse Theon. Sophista statuit.

Gravissima ¶ etiam pœna semper affecti sunt homicidæ. Quamvis 10  
Ioabus Davidi regi ob artis militaris peritiam & fidem carissimus fuerit; tamen quia perfide occidit duos viros, occidi eum fecit Salomon tonentem cornu altaris 3. Reg. 2. Si quis apud Ægyptios sponte aut liberum, aut servum occidisset eum morte damnari leges, jubebant Diod. Sic. lib. 1. cap. 16. Apud Brasilienses nullum delictum pledebatur quàm homicidium Oforius lib. 2. rer. Emman. Mesabates Eunuchus jussu Parysatidis reginæ ob homicidium excoxiatus est Plut. in Artaxarxe. Maurifius servus à Neapolitano prætore candenti forcipe concisus est, eò quod liberum hominem occidisset Pont. lib. 2. de fortitud.

Ægyptij ¶ parricidas articulatim præacutis calamis cæsos jube- 11  
bant viros supra spinarum acer-vum comburi Diod. lib. 1. c. 6. Macedones eos saxis obruebant. Sapientissimè, inquit M. Tullius pro Roscio, nostri majores fecerunt: qui cum intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt, ut quos natura ipsa continere in officio non potuisset, magnitudine pœnæ summoventur. Insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici. Sic enim volebant eum hominem è natura auferre, atque eripere, ut repente cœlum, solem, aquam, terram adimerent, ut qui eum necasset a qua  
C natus




natus esset, careret his rebus omnibus, ex quibus nata esse omnia dicuntur. Noluerunt feris corpus abjicere, ne bestiis quoque quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uterentur: non sic nudos in flumen abjicere, ne cum delati essent in mare ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata, expiari putantur. Digestor. lib. 48. ad leg. Pompejam de parricidijs *jureconsultus ita scribit*: Pœna paricidii more majorum hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insutus vaso omnium capacissimo urnas continenti quadraginta cum cane, gallo gallinaceo, & viperâ, nec non etiam simia, in mare profundum projiciatur. *Hodie etiam homicidium pro qualitate ferro, rotâ, & igne punitur.*

22. *Virumque igitur delictum æque grave æqualique pœna afficiendum videtur. Interim quemadmodum in omnibus politicis circumstantiis diligenter asservanda sunt: sic etiam hic judicij accuratè perpendenda. Fieri enim potest, ut pro variarum circumstantiarum ratione alterum altero gravius sit, gravius item puniri possit ac debeat.*

F I N I S.















50



D. O. M. A.  
 DISPUTATIO V.  
 Centuriæ ~~Quarta~~ ✓  
**QUÆSTIONUM**  
**ILLUSTRIUM**  
 Philosophicarum,  
*In Inclysâ Vitebergensi Academiâ*  
*Publicè*  
 Proposita  
 PRÆSIDE  
**M. Jacobo Martini**  
 Logices Profefs. Publ.  
 RESPONDENTE  
**Wilhelmo Mejero**  
 Frisio Nordensû  
*Ad diem 15 Junij in auditorio Collegij*  
*veteris.*

WITBERGÆ,  
 Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli  
 Helvigii Anno M. DC. VIII.

